



Samelbd.

0/0

die,

45  
CONCORDIA  
RATIONIS ET FIDEI  
IN  
DOCTRINA  
DE  
S. COENA LVTHERANA

BREVIBVS EXPLICATA

A  
CHRISTIANO FRIDERICO OLPIO

A. M. LYCEI TORGAVIENS. RECT.

ET SOCIETAT. LATIN. IENENS. MEMBR. HONOR.

7165  
LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.



CONCORDIA  
RATIONIS ET FIDEI  
IN  
DOCTRINA  
DE  
S. COENA LUTHERANA  
REVISE ET IMPRIMATA  
A  
CHRISTIANO FRIDERICO OLFIO  
A. M. P. L. P. O. G. V. A. R. I. E. T. E. R. E. G. I. S.  
ET SOCIETAT. LATIN. LINGV. GERM. HONOR.  
PRIMA  
IN ORIGINALE



**D**efixum adhuc in oculis animisque habemus inexpectatum illud acerbumque spectaculum, quod orbi literato et purioribus sacris contemplandum, vltima voluntate posteris tradita, praeiuit CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS. Is quantum sibi decus comparauit, via ad historiam literatam studiosae iuuentuti feliciter aperta, aliisque scriptis et historicis et philologicis, tantam nomini suo, exteris etiam commendatissimo, <sup>1)</sup> maculam adpersit paginis istis perturbatis, ac persona sibi imposita non satis dignis, quas nescio quis infestus nobis ac HEVMANNI cineribus haud bene cupiens anno superiori in lucem emisit. Magnificentius, quam verius, *demonstrationem iactat inscriptio, doctrinam coetus Reformati de S. coena rectam esse et veram.* Quam parum enim rubro huic conueniat nigrum, id vero dictum iam est ab aliis, <sup>2)</sup> et ex ipsa postumi illius scripti contemplatione satis perspicitur. Quod quamuis nec vllum stabilitatis praesidium afferre possit Zwinglianae caussae, nec Lutheranae quicquam detrahere, nemo tamen est cordatorum theologorum, qui non luceat Viri Summi tergiuersationem doctoris rerum diuinarum dignitati parum consentaneam, eiusdemque secessionem a sacris, quibus publice priuatimque profitendis ac pro virili defendendis religiosa iuris iurandi fide interposita se obstrinxerat.

\* ALBANI *kurze und aufrichtige Anmerkungen über Herrn D. C. A. Heumanns Erweis etc.* Lipsi. 1764.

LANGII *Sensschreiben an den Hochw. und Hochgel. Herrn Gabr. Christoph. Benjam. Mosche etc. wegen des Heumannischen Erweises.*

CVBII *Anmerkungen über D. C. A. Heumanns Erweis, dass etc.* Lipsi. 1764. et Scriptor quidam Anonymus, qui saltum Panegyricum Heumanno dixit in libello, qui inscribitur: *D. C. A. Heumanns Erweis, dass die etc.*

):( 2 zweyter

1) Namque Conspectum reip. liter. ab HEVMANNO foras datum, Parisensium doctorum ephemeridum collectoribus magnam admirationem peperisse, quod tantam obseruationum multitudinem adeo paruo libello inclusam animaduertent, Celeb. STOLLIVS tradit in *der Historie der Gelahrtheit*, p. m. 37. GESNERI vero *primae lineae Isagoges in eruditionem vniuersalem* p. 85, hunc conspectum *aureolum* vocant.

2) Huc pertinet *Magnificus ac Summe Venerabilis Vitebergensium Sacrorum Antistes, CAROLVS GOTTL. HOFMANNVS, in der kurzen Antwort auf D. C. A. Heumanns Erweis, dass die Lehre der Reformirten Kirche vom heil. Abendmable die rechte und wahre sey*, Vitemb. 1764.

zweyter Theil, welcher die nöthigen Beylagen zum ersten Theile enthält, Heidelberg. et Goetting. 1764.

§. II.

Causas, quibus permotus tanti ingenii et tam vastae lectionis vir in re grauiissima sanctissimaque diu fouerit erroris opinionem, ac tandem libris prodere sibi non duxerit religioni, paullo altius inuestigantes, ad varios eisdemque impuros fontes deducimur, quibus detectis apertisque nec mentem eius ad deuia haec prolapsam, nec illam *demonstrationem omnis expertem demonstrationis* <sup>3)</sup> mirabimur. Tantum abest, vt nouitatem propter se ipsam repudiemus, vt illud ISOCRATIS <sup>4)</sup> censeamus verissimum: *Ἰὰς ἐπιδόσεις γεγεμέναι, ἔ δια τὰς ἐμμένοντας τοῖς καθεσῶσιν, ἀλλὰ δια τὰς ἐπανορθῶντας, καὶ τοὺς μὴ ἀεί τι κενὴν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων.* *Accessiones factas non ab iis, qui in receptis manerent, sed corrigerent, ac semper quid mutare auderent rerum non bene comparatarum.* Nimum tamen nouitatis studium, tum in aliis rebus, tum praesertim diuinis, seminarium nouimus temeritatis. Cui temere nouandi cupiditati fama celeberrimus HEVMANNVS non solum in argumentis ad literas humanitatis, verum etiam ad sanctiores disciplinas spectantibus, adeo deditus intentusque fuit, vt in his praecipue tractandis atque explicandis opiniones inuitatas haud raro pareret. Eius certe Noui Foederis explicationes quamuis multa praeclara atque a felici ingenio profecta tradant, quamuis interdum vel ipso errore doceant; tamen opimam sententiarum incommodarum ac mirabilium messem relinquunt, quam profecto non collegisset auctor tot meliora scribendi praesidiis instructus, nisi fementem fecisset noua atque inaudita dicendi auuiditas inexhausta. Spretis igitur aliorum iudiciis, solum se circumspexit, sibi que plausit soli, grauioremque auctoritatem, et in diuina oracula, tantam sibi vindicauit; vt stare putaret, vel cadere, quicquid acrius ab se notaretur. Ingenio foecundo atque exultanti nisi accedat subacti maturitas iudicii, quemadmodum nihil effeceris in rebus altioris indaginis, ita in primis in disciplina sanctiori haud ampla feceris spatia, si praetermissa mentis agitatione meris coniecturis induleris, vbi certae fallique nesciae rationes afferri potuerant. At enim HEVMANNVS fertilissimo quidem ingenio florens saepenumero famam potius, quam

<sup>3)</sup> Ita merito hunc libellum nominat Magnif. ac S. V. HOEMANNVS l. c. p. 4.

<sup>4)</sup> In *Enagora* p. 450.

quam veritatem quaesuit, resque diuinas suo pretio non aestimauit, quod illis salus nostra tribuit. Ita solet in humanis, vt nubem amplectamur pro Iunone, ac historica disciplinae vel artis cuiusdam cognitione imbuti ipsam rem acu tetigisse statim nobis videamur, quam primis modo, quod aiunt, labris degustauimus. Sane non tantum scimus, quantum memoria tenemus, sed quantum perspicimus caesurum. Neque etiam in fidei Christianae dogmatibus vlla standum est auctoritate, nisi diuina. Quod si animo comprehensum tenuisset HEVMANNVS, hominum quorundam inter Reformatos doctissimorum veneratione potissimum ductus, faniolem de Sacra coena doctrinam non deseruisset. Vnde facile colligas, eum et suo et aliorum ingenio nimis addictum, etiam bene constituta mouisse, maiorumque prudentem reliquisse castitatem, in doctrinis reconditis perspicuitatem testimonii praefertentem euidentiae rei, quae captum non potest nostrum non superare. Sed neque verecundum sobriumque philosophum egit in contemplanda Lutheri doctrina de coena Domini.

### §. III.

Fatua, a sana mente aliena et ridicula coetus nostri praecepta de sanctissimo illo caelestique epulo statuit HEVMANNVS, ridiculis, excordibus et anilibus, quae huic ipse affingit, argumentis, cur ita statueret, adductus. Quis vero docuit magnum illum clarumque theologum, nos credere, docere et confiteri, in S. coena Christi corpus in frustra secari, partem eius cuilibet accedenti ad sacram *συνάξιν* manducandam porrigi, neque aliam esse corporis Iesu praesentiam, atque illam, qua haberet plura corpora, si mille homines vna hebdomade irent ad sacram coenam? Capernaitici stuporis crimen certe non alii coetui minus imponendum erat, quam Luthera-  
no, posteaquam Formula Concordiae<sup>s)</sup> grauissime pronuntiauit: *Repudiamus et damnamus omnes curiosas, sarcasmas tinctas et blasphemias quaestiones, atque huius generis sermones, qui grassae, carnaliter, et Capernaitice de supernaturalibus et caelestibus mysteriis coenae dominicae proferuntur.* Sic HEVMANNVS crassa Minerua philosophatur ad pugnam doctrinae de vera corporis et sanguinis Christi praesentia mentem suam conuertens. Quam si, adhibita in consilium ratione, in-

tendisset, medio nos ire tutissimos intellexisset inter duo praecipitia, ad quorum alterum delapsa est Pontificiorum disciplina, ad alterum Reformatorum. Illa nempe nihil hic relinquit rationi, haec omnia. <sup>6)</sup>

#### §. IV.

Operae existimamus nos pretium facturos, si de concordia rationis et fidei in doctrina de S. coena Lutherana non nihil exposuerimus. Timide autem et circumspecte in hac causa nobis versandum videmus, moniti S. V. Hofmanni Paraenesis ad caute virgendam fidei et rationis concordiam, <sup>7)</sup> ne ipsi incidamus in Scyllam, quam a Calvinianorum coetu haud bene vitatam nouimus. Quanquam permulta capita fidei Christianae tam sunt abstrusa atque abdita, vt omnes eorum recessus ratio non capiat, tamen ex tota disciplinae caelestis compage nullus laudari locus poterit, cui pugna intercedat cum recta ratione a Deo, fonte omnis veri, ad homines profecta. Quem fugit, vel in rebus humanis et sensum incurrentibus multas inueniri, quas, cur et quomodo fiant, nemo vel acutissimorum assequatur? At hebetis ille sit ac plumbei ingenii, qui negare id voluerit, quod sensibus quotidie vsurpat, quia modum, quo fiat, ignoret. Imo vero consideratum sequimur Ciceronis iudicium de diuinatione: <sup>8)</sup> *Hoc sum contentus, quod, etiamsi, quomodo quidque fiat, ignorem, quid fiat, intelligo.* An animum tuum cum corpore confociatum diffiteberis, quia modus, quo iunctum est admirabile illud vinculum, te praeterit? Quanto minus in diuinis ita rationes subduxeris: Modum doctrinae in sacris literis traditae non capio, ergo ipsa rei fides mihi repudianda. Veram, quam clarissimis Scripturae S. effatis infinita Dei sapientia te docet, praesentiam corporis et sanguinis Christi in Sacra coena cogitans, neque modum, quo adesse possint et vere adsint, cogitatione penetrans, num ipsam in dubium vocabis, num aduersam putabis rationi?

#### §. V.

<sup>6)</sup> Vid. HENR. MEERNE von der weisen Mittelstrasse eines rechtschaffenen Gottesgelehrten; quae diatribae extat in eius kleinen Schriften, Part. III. p. 134. seq.

<sup>7)</sup> Hanc VIR SVMMVS A. CLO B CCLVI. publico Academiae nomine dedit. Quam bene conspiret cum ratione fides Christiana, perfecti sunt CASIVS de philosophiae Leibnitianae et Wolfianae est in Theologia. Tom. I. Cap. I. REINBECCVS Praef. in Tom. II. Commentationum in Augustinam Confessionem, et alii plurimi, quos recenset FABRICIVS, in Delectu argumentorum et Syllabo Scriptur. de verit. relig. Christi, Cap. XXIV. p. 497. seq.

<sup>8)</sup> Lib. I. Cap. IX.



§. V.

Cui vero quam amice respondeat doctrina fidei coetus Lutherani de S. coena, iam quibusdam argumentis conficiemus. Ac primo quidem loco nos ad se vocant propositiones, quae nuncupantur exhibitivae, quae subiecti loco habent pronomen demonstrativum, duas res comprehendens, quarum praecipuam nominat praedicatum. Quae cum facile admittantur in rebus quotidie obuiis, quod nec impropriae sunt, nullam subiecto praedicatoque translatam potestatem inferentes, nec tautologicae, praedicatum quidem subiecto complectentes, sed non solum; non video, qui impropriam vim extorquere possimus verbis, quae coetui suo sancte incorrupteque tenenda enunciat Optimus sapientissimusque Servator: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Si cui aegrotto medicamentum vitreo vasi inclusum porrigitur his verbis: *Hoc est medicamentum,* statim sane is perspicit, quid sibi his verbis alter velit, nec illis, nisi ingentem stupiditatem ei tribuamus, medicinam significari, aut vas in eam commutari, sed vere praeberi, videbit. Duas certe propositiones, vna enunciatae, non seiunget, quarum altera est: *Hoc est vitreum vas,* altera et praecipua: *Hoc simul est medicamentum.* Nec aliter explicare potuit disciplina Lutherana propositiones exhibitivas in formula institutionis coenae sacrae occurrentes, quam quod *IN, CVM et SVB pane et vino,* vehiculis externis, maiora nobis et coelestia, verum scilicet corpus, verusque sanguis Christi vere et reapse exhibeantur ac tradantur, nisi deserere voluerit sanae rationis dictamen, cui bellum nusquam indicit Deus in fide Christiana sacris literis hominibus commendanda. Evidentissima, Christi, testatoris summi, prostant testimonia, quae vilo modo detorquere perinde temerarium est, ac modum, quo vere et re ipsa adsint in S. coena corpus et sanguis Iesu Christi, curiosius rimari. Ratio fidei non inimica in rebus menti finitae non peruiis satis habet, si nihil repugnantiae videat. Quo perspecto gaudet, pedemque venerabunda figit, caetera Deo permittens immortalis.

Ad alia nunc progrediendum <sup>michi</sup> nisi foret argumenta, quibus rationis et fidei concordia confirmatur in doctrina Lutherana de S. coena. Sed alio tempore illa mihi pertractanda video, cum intercedunt disci-

disciplinae nostrae alumni, orationibus celebraturi dies sanctissimos, quorum altero Seruator Optimus testamentum corporis sui et sanguinis vere fruendi condidit maximum ac religiosissimum, altero vltimam illam voluntatem piaculari morte obfignauit.

Illius religione permotus

I. IOANNES GOTTLÖB HARTMANN, Süpticiensis Mifn. Chori Musici Praefectus,

quem bonis ominibus ac votis ex sinu scholae dimittimus, gratias, quas mente concipere potest, maximas, carmine exsoluet Deo O. M. Procreatori suo et Conseruatori, scholae Patronis ac Nutritoribus, Praeceptoribus, ipsique Torgauiae multis de se beneficiis egregie meritae, ac SCHROEDERVM tandem, in discipulos huius Lycei prolixum ac beneficium, grata memorique mente collaudabit.

II. LOTHVS FRIDERICVS GOTTLÖB LÜDICKE, Domitiensis Mifn. breui oratione ostendet, *Iesu discipulos, a stupore Capernaitico longe alienos, veram eius corporis et sanguinis praesentiam in S. Coena, iam tum, cum illam institueret Seruator, pie credidisse.* HARTMANNO deinceps felicem honorificumque ex schola discessum carmine gratulans, *nullam, nisi in bonis, amicitiam esse,* declarabit.

Sed in diei, post hominum memoriam tristissimi, quo atrocissimum pro genere humano supplicium subiit Christus, contemplatione ac veneratione defixus.

I. IOANNES SALOMO CVNO, Torgauiensis, dicet *de morsu Calcaei mortifero,* et sub finem orationis SCHROEDERI in huius scholae alumnos beneficentiam in memoriam reuocabit.

II. IOANNES GVILIELMVS DEMISCH, Torgauiensis, Oden recitabit *de diuina Iesu maiestate, in ipsa perpeffione acerbissima exsplendescente.*

Vtroque die totius anni religiosissimo, vt ad iuuenes hos oratores beneuole audiendos VIRI ILLVSTRES, EPHORVS SCHOLAE GRAVISSIMVS, AMPLISSIMVS SENATVS, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI, SCHOLAE PRAECEPTORES FIDELISSIMI, et quicumque tantorum veneratione dierum ducuntur, hora VI. vespertina in auditorio maiori congregiantur, summa, qua decet, humanitate atque obseruantia precamur. Scrib. in Lyceo Torgau. die III. April. cId Id CC LXV.

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112





TA → SL  
Nov 75 fkt 1

R

VD 17







Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

B.I.G.

S.

<sup>45</sup>  
ORDIA  
ET FIDEI  
RINA  
V  
THERANA  
XPLICATA  
DERICO OLPIO  
AVIENS, RECT.  
NENS, MEMBR, HONOR.  
AE  
LOEPERIA.